

**ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica**

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 653

Jisewin

15 giugno 1961

(Arch. Somasca)

15. VI. 61

Antverpiae, a. d. xvi Kal. Iul. MCMLXI.

Reverende admodum et amiceissime Pater!

Laetus novissimas tuas litteras accepi, ex quibus certior factus sum te, etri multis officiis cumulatam, admodum tamen valere. Nos etiam satis valemus, etri uxor denuo gravidior coxae dolore nonnumquam cruciatur. Satis etiam nos Idibus Iulii Antverpiâ Lovanium commigraturos esse: domus nova sita est: PAUL LEBRUNSTRAAT 27, LEUVEN. Fieri etiam potest ut mense Februario exeunte cum uxore et liberis Italiam petam et quattuor menses studiose causa Romae versaturus sim. Suntne eo tempore viae in Italia satis tutae ut iter autocinetis facere possim? An praestat tempestatum causa autocinetum tramini imponere? At parum urbanus sum, qui de me meisque garris, quaestiones vero tuas praeterierim! Anthologia poetica, quam Josephus Eberle (Turinhaus, Stuttgart) paravit iam prelo commissa est, etri plagulae nondum correctae sunt. Nescio itaque utrum specimen carminum tuorum una cum brevi vitae curriculo etiamnum recipi possit amari. Mitti tamen suadeo. Est autem anthologiae quinquaginta poetarum e septendecim nationibus, i. q. Italia, America, Brasilia, Australia, Russia, Iugoslavia etc. Ego autem epilogum pedestri oratione scripsi de poesi Latina recentiorum temporum. Monere te etiam velim florilegum cuiusvis generis carmina accepisse praeter ea, quae aut versa sunt e linguis vernaculis aut argumentum tractant sacrum. Nam, ut ipse in praefatione scripsit, impium duxit sacra profanis miscere.

Mense maio liber noster prelo exiit, quem nativo sermone conscripsimus de poetis Latinis, qui saeculo xx<sup>o</sup> floruerunt. Mentionem etiam facimus poetarum maioris

momentis, qui saeculo XIX opera ediderunt (Vitruvii, Esseiva, Leo XIII etc.). Ubi de  
poetis, qui nunc sunt, scripsimus, nomen etiam tuum protulimus et tres locos ex  
opusculis tuis exempli gratia excerptimus. Quod vero nederlandice, non latine opus  
conscripsimus (eaque de causa nec tibi nec ceteris Italis usui esse possumus), id non  
nostra sed editoris culpa est. Cui tamen gratus sum, quia libellum de poetis latinis  
typis mandare non recusavit, qui semper carmina flandrica edere solebat.

Heri "Carmina" Hugonis Henrici Paoli accepi, quae apud librarium Florentinum  
Le Monnier proderunt. Sunt novum et luculentum latinitatis Italicae monumentum,  
quod ut quam latissime divulgetur vehementer optandum est. Utinam multi essent  
professores, quales Paoli, docti simul et poetae!

Optime vale, Pater carissime, et nostri memor  
ris.

Salutat te addictissimus tuus